OECONOMIA POLITICA

JURI PUBLICO ET PRIVATO CONCORS.

DISSERTATIO

QUAM

PRO VENIA LEGENDI RITE OBTINENDA

DIE XVII. MENSIS JUNII A. MDCCCXXIX.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDENDAM

SCRIPSIT

JOANNES SCHOEN,

J. U. ET PHILOS. DOCTOR A. A. L. L. M.

VRATISLAVIAE,

TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOCIORUM.

Es bleibt dabei, alles, war nur auf die Befriedigung irdischer Beduerfnisse gerichtet ist, gehoert nicht zum Wesen des Staates. Wuerde daher durch den Erwerb als solchen nichts Hoeheres dargestellt, so waere er als ein Geringeres nothwendig zu beachten.

H. Steffens.

Pag. 12. lin. 12. deleatis: quoque, minoribus autem vitiis typographicis indulgeatis.

INTRODUCTIO.

DE SYSTEMATE OECONOMICO ET OECONOMIA POLITICA.

§. 1.

Recentiores, qui in rebus publicis cogitationem diligenter defigunt, magis magisque conveniunt, societatem politicam (der Staat im Allgemeinen) ita definiendam esse, ut nullum nisi generis humani finem sibi praefixum habeat. Is finis, quem Herdero auctore [1]) humanitatem appellamus, omnino unicus est, qui nulli societati politicae non subjectus in omni, modo distinctius modo obscurius pronuntiatur. Hac de caussa Aristoteli concedimus: ὅτι ἄνθρωπος φύσει πολιτικὸν ζῶόν — ἐστιν [2]). Quin etiam Platoni in eo assentire possumus, quod exemplar rei publicae in animo humano reperiatur, solummodo sensualitatem ratione coërcendam non inferiori classi, sed depravatorum hominum numero comparamus.

---

[1]) I. G. Herder: Ideen zur Philosophie der Geschichte der Menschheit. Riga 1786. Tom. I. lib. IV.

[2]) K. Vollgraff in opere suo: Die Systeme der abendlaendischen Politik, Giessen 1828, in eo peccasse videtur, quod firmioribus argumentis suam societatis politicae notionem tegere neglexit. Cum enim societatem politicam = rei publicae cogitet, facultatem politicam (die Staatsfaehigkeit) Graecis tantum et Romanis concedere potest, Germanis vero et Slavis denegare debet. Quae sententia, quamvis ex praemissis bene concludatur, facile refellitur, quia singulari et manca, ut videtur, societatis politicae notione innititur.

Prima velut vestigia et lineamenta societatis politicae in re familiari quaeramus necesse est. In familia sane numen divinum imaginem formavit, quae hominibus rudimenta liberorum coetuum praebuit, quos civitates nuncupamus. Verum etiam sunt, qui societatem politicam non modo a re familiari ordiri sed ad eam quoque per ambitum quendam reverti putent. Difficillimum quidem est, hac de re juste judicare, attamen, si oculos ad systemata politica convertimus, quorum simulacra in historiae speculo aspicere licet, tum omnino observamus, societates civiles in orbem quendam se recipere.

§. 2.

Primum systema politicum vocamus systema gentilitatis, quia antiquiores societates, quas novimus, nil nisi institutiones ad gentem quandam excolendam perfectae videntur. Sufficit contemplari res publicas Judaeorum et Graecorum, quibus formam virtutis expletam concedimus. — Rex Judaeorum est — deus patrum; qui populum gubernant, dei sunt ministri et vicarii, qui cavere debent, ne subditi exteris misceantur; septimo quovis anno agri redduntur communes, post septies septem annorum aes alienum exstinguitur, servitus tollitur et fraternitas prima in integrum restituitur [3]). Graeci autem non modo exteris (barbaris!) ad fines, quos sibi praefixerant, adipiscendos abutuntur, sed etiam omnibus suis jura politica non tribuunt. Atque hanc ob rem Aristoteles, quamquam societatem etiam e familia oriri docet, eam tamen ante civem cogitat, quia alioquin jus publicum Graecum explicare sibi non potuisset [4]).

[3]) Michaelis: Erklaerung des Mosaischen Rechts. Frankf. am Mayn 1769 sq. T. I. pag. 216—224. e. a. l.

[4]) Politic. Lib. I. c. 1. p. 4. edit. C. Goettling. Jenae 1824. *Καὶ πρότερον δὴ τῇ φύσει πόλις ἢ οἰκία καὶ ἕκαστος ἡμῶν ἐστι· τὸ γὰρ ὅλον πρότερον ἀναγκαῖον εἶναι τοῦ μέρους.*

§. 3.

Cum gentes sese miscuissent, hoc systema in aliud idque latius transire debebat. Genus humanum e vinculis naturae egrediens libere se conjungeret necesse fuit, unde systema civile ortum est. Quam ob rem, id quod Adamus Muellerus fecit, civitatem Romanam non insectamur[5]), sed potius eam tamquam florem systematis civilis summa laude dignam censemus. Civitas, secundum Ciceronem[6]), coetus hominum — non cognatorum sed — concordium est. Civis appellatur, qui in societatem honeste libereque vivendi coibat. Res publica est res populi eaque civem antegredi non cogitatur. Qua de caussa civitas nomen ducit a cive, cui lingua Graeca nomen τοῦ πολίτου a voce πόλις repetitum tribuit. Domi civis est princeps, dominus, verum nonnisi in civitate, ut Romana, dominium non nocet.....

§. 4.

Migratio gentium emancipationem generis humani amplificavit. Diversae nationes in unam societatem congrediuntur et regi tanquam rationi unicae parent. Hoc modo ortum est systema feudale. Qui populum regit, dei gratia terras occupat, dominium supremum utpote numinis divini vicarius tenet, possessionem autem viris fidelibus committit, qui usum reliquis concedere obligantur. Eo, quod dominium Romanum fugit, hoc

---

5) Elemente der Staatskunst. Berlin 1809. T. II. p. 51. Rom in seinem Anfange ist ein Aggregat fremdartiger durch die Noth zusammengetriebener Personen.. Es darf also nicht befremden, dasz das aelteste Roemische Recht sich mehr auf den weltlichen saechlichen Besitz beziehen muszte u. s. w.

6) Cicero de re publica. L. I. c. XXV. §. 39. Est igitur res publica res populi; populus autem non omnis hominum coetus — sed coetus multitudinis juris consensu et utilitatis communione sociatus. Cet. — — —

systema recedit a civili et quodammodo systemati gentilitatis appropinquat.

§. 5.

Quoniam nobiles tantum „homines" evaserunt, clerici autem „homines" fieri noluerunt, systema feudale moles gravissima reddebatur atque ideo corruebat [7]). Novum systema politicum nuncupatur oeconomicum. Societates enim recentiores eo nituntur, quod civibus vita privata liberrima et ad finem humanitatis assequendum aptissima conceditur, ii vero, qui sublimi regendi et tuendi munere funguntur, omnia quae ad statum societatis servandum et perficiendum faciunt, comparare et instituere debent. Recte societates propterea nominantur status, états, stati, Staaten. Necessario harum civitatum principium oeconomia evasit [8]), quia haec subsidia ad statum publicum privatumque perficiendum idonea tradit. Uti autem systema gentilitatis e re familiari egressum est, ita systema oeconomicum re familiari terminatur. — —

§. 6.

Quamquam societas politica ambitum perfecit, tamen non cessat sed necessario promovetur; — oeconomia ipsa eam provectura est; id quod jam inde elucet, si ejus rationes varie mutatas accuratius perpendamus. Primum enim oeconomia divitias (copias rerum corporearum) tantum con-

---

[7]) Quae ironia, quod „homo" vocatur, qui feudum obtinet. Quid vero? Otto Frisingensis ipse, vir eruditissimus, lamentatur, quod opifices evaserunt milites. (De reb. Frid. I. lib. II. c. 13.)

[8]) Le mot d'économie vient de οἶκος et νόμος et ne signifie que le sage et légitime gouvernement de la maison, pour le bien commun de toute la famille. Le sens de ce terme a été dans la suite étendu au gouvernement de la grande famille, qui est l'état. Rousseau (Discours sur l'économie politique) Oeuvres. Tom. I. pag. 259.

siderabat, attamen vel tres ejus disciplinae locum tenebant. Etiamsi Quesnay et Smithius nunquam vixissent, post doctrinam mercatoriam disciplina physiocratica et quae industrialis dicitur, sequutae essent. Ideae enim politicae a viris quidem doctis pronuntiantur, verum tamen vi eventuum procreantur. Hodie oeconomia jam latior est, eamque aspicimus, qualis fieri debet. Quare non miror, quod factio quaedam obscura oeconomiam fugiat, id tantum doleo, quod viri quoque doctiores iiscum conveniunt.... Qui rebus publicis Graecorum gaudent, ii oeconomiam juri publico obesse cogitant [9]), qui vero jus Romanum sequuntur, ii eam juri privato noxiam suspicantur (quia, ut Cicero ait, nulla est justitia, si utilitate omnia metienda sunt) [10]). Atqui oeconomia vera tantum abest, ut juri officiat, ut civitates ad fines praefixos promotura sit. Ipsa enim civitatem tanquam societatem solana tuberosa L. plantandi vel pannos texendi non considerat; sed πλείων ἡ σπουδὴ τῆς οἰκονομίας περὶ τοὺς ἀνθρώπους ἢ περὶ την τῶν ἀψύχων κτῆσιν, καὶ περὶ τὴν ἀρετὴν τούτων ἢ περὶ τῆς κτήσεως [11]). Quam sententiam probaturi sumus.

SECTIO PRIMA.

DE OECONOMIAE POLITICAE CONSENSU CUM JURE PUBLICO.

§. 7.

Rem ut bene expediamus, jus quoddam positivum ante oculos habeamus non necesse est, sed hoc potissimum pro-

---

9) K. Vollgraff nostras societates ab antiquis ita discernit, ut illas Staten hasce vero Staaten nuncupet.

10) Cicero de legibus. Lib. I. c. 15. §. 42.

11) Arist. Politic. Lib. I. c. 5. p. 23. ed. Goettl.

bare debemus, quod oeconomia ea quoque omnia, quae ad civitatem perfectiorem construendam opus sunt, desiderat, anquirit, suppeditat. Primum igitur monstrandum est, quae ratio inter divitias et cultum moralem intercedat, deinde docendum erit, oeconomiam rebus incorporeis aeque atque corporeis favere, denique ostendamus oportet, publicum et oeconomicum arctissime inter se cohaerere.

FRAGMENTUM PRIMUM.

DE OECONOMICO ATQUE MORALI.

§. 8.

Ex quo I. I. Rousseau asseruit, rudes pauperesque nationes esse honestissimas [12]), tot et tanta a nostris scriptoribus hac de re literis tradita sunt, ut nemo nostrum vix novi quid in unam alteramve partem afferre possit.

Galli quidem hancce opinionem et ipsi impugnantes, non confutarunt, ut fortasse haberent aliquid, quod semper rideant et discutiant. Sic Say adhuc in introdu-

[12]) Tant que les hommes se contentèrent de leurs cabanes rustiques et qu'ils se bornèrent à coudre leurs habits de peaux avec des épines ou des arêtes, à se parer des plumes et de coquillages, à se peindre le corps de diverses couleurs, à perfectioner ou embellir leurs arcs et leurs flèches, à tailler avec des pierres tranchantes, quelques canots de pêcheurs ou quelques grossiers instrumens de la musique, en un mot tant qu'ils ne s'appliquèrent qu'à des ouvrages, qu'un seul pouvait faire et qu'à des arts, qui n'avaient pas besoin du concours de plusieurs mains ils vécurent sains, bons et heureux etc.

Discours sur l'origine de l'inégalité. Oeuvres à Genève 1782. T. I. p. 135.

ctione operis sui recentioris [13]) hac de sententia agit, ita tamen, ut Ciceronem audire putes, qui honestum justumque esse utile, lepide arguit, verum utile esse honestum justumque non probat [14]). Etiam Charles Ganilh, vir longe sagacissimus, oeconomiae dignitatem probaturus solam divitiarum cupidinem apud quaslibet gentes significat idque studium generi humano insitum esse concludit [15]). Verum ex eo, quod omnes gentes divitias concupiscunt, earum productionem aestimatione nostra dignam esse, non sequitur, immo id erat ostendendum, quod nonnisi apud divites populos et industrios plena humanitatis imago animadvertitur.

§. 9.

Hac ratione nostri scriptores opinionem civis Genevensis resolverunt. Monstrarunt enim, eos, qui rudium nationum mores laudabant, absentiam nostrorum vitiorum jam innocentiam duxisse, docuerunt in gentibus dijudicandis non ad singulas virtutes sed ad earum summam, humanitatem scilicet, respiciendum esse atque multa testimonia de divitum cultarumque nationum pravitate e scriptorum frequentia explicarunt [16]). Neque veteres philosophi speciosam civitatem absque copiis videntur cogitasse, nam ipse Plato Kalipolin suam ponit opulentam [17]). Lacedaemonii tantum ex praeceptis Lycurgi paupertatem nobilem servarunt, sed humanitati plenae renunciarent oportuit.

---

[13]) I. B. Say: Cours complète d'économie politique, à Paris 1828.

[14]) Cicero de officiis. Lib. II. c. 3. §. 10.

[15]) Charles Ganilh: Des systèmes d'économie politique, à Paris 1809. Tom. I. introd.

[16]) Cf. Isak Iselin: Ueber die Geschichte der Menschheit. Basel 1786. I. Th. 2—4 Buch.

[17]) De re publica. Lib. II. 372. seq.

Cum autem virtus humana solummodo in corporeo quodam arbitrii orbe exerceri possit, numine divino factum est, ut genus humanum e terrestribus divina quasi enodet et effodiat [18]).

FRAGMENTUM SECUNDUM.

DE CORPOREO ATQUE INCORPOREO.

§. 10.

Recte Socrates eum exsecrari solebat, qui primus utilitatem a natura sejunxisset [19]). Quare nos quoque illis scriptoribus non annuimus, qui inter labores vulgo materiales et immateriales distinguunt [20]), illos tantum productivos putant, hosce vero steriles censent, et functionibus sublimioribus maculam quasi aspergunt. Verumtamen oeconomia hujus discriminis ansam non tenet, magnaque cum injuria eam ob rem despicitur [21]). Mon-

[18]) Jedes Erdenbeduerfnisz ist eine Mutterhuelle, in der ein Keim der Humanitaet sproszt. Lueder: Entwikelung des menschlichen Geschlechts aus den Ursachen derselben. Braunschweig 1810. p. 384.

[19]) Cicero de legibus. Lib. I. c. 12. §. 33.

[20]) Quisque labor ejusmodi est, ut vel dum praestetur, vel demum perfectus indigentiae nostrae serviat. Ille nulli materiae adnexus est, hic sine ea cogitari non potest, quare ille immaterialis, hic materialis dicitur. Romani, qui idem fecerunt discrimen, labores immateriales operas, materiales opera vocabant. Dicitur enim fr. 1. D. VII, 7. de oper. serv.: Opera consistit in actu, nec ante in rerum natura est quam si dies venit; fr. 5. D. L. 16. de verb. signif: Labeo significari ait id opus, quod Graeci ἀποτέλεσμα vocant, non ἔργον i. e. ex opere facto corpus aliquod factum.

[21]) Erst muszte alles Hohe und Goettliche mit Fueszen getreten werden, bis fuer jene Theorie Platz ward, welche Socrates

strare enim possumus, illam de operis sententiam ad hodiernam scientiam non pertinere neque ita enuntiatam esse, ut rebus incorporeis summa denegaretur gravitas. Quin etiam defendimus, veram oeconomiam ad bona incorporea aeque atque corporea producenda spectare.

§. 11.

Inter omnes constat, Franciscum Quesnay, cum systema mercatorium oppugnaret, in occupationibus humanis dijudicandis agriculturae solum vim divitias producendi adsignasse, reliquos autem labores steriles declarasse [22]. Ad quod discrimen fortasse Aristoteles eum perduxit, qui etiam οἰκονομικὴν κατὰ φύσιν solam τὴν περὶ τὴν τροφήν appellat, τὴν μεταβλητικήν parvi aestimat et ὑλοτομίαν καὶ μεταλλευτικήν inter utramque ponit [23]. Jam nomen physiocratiae, quod Quesnay doctrinae suae tribuit, ad illam οἰκονομίαν κατὰ φύσιν respicere cogit. Adamus Smith, quem oeconomiae hodiernae patrem dicimus, nonnisi mercaturae et fabricationi illam dignitatem et vim, quam Quesnay eis denegaverat, defendere cupivit, quare fieri potuit, ut vir celeberrimus, quamquam ejus fuit, totam illam laborum dijudicationem convellere, in physiocratica de operis sententia conquieverit [24].

§. 12.

Quamvis, qui Smithium sequuti sunt, viri doctissimi, Jakob, Soden, Malthus, Kraus, Lueder, Lotz, aliique

---

und Christus in die sterile Klasse setzt. Heeren: Ideen ueber Verkehr, Handel und Politik der alten Welt. T. III. p. 274.

[22]) Tableau économique avec son application, à Versailles 1758.

[23]) Politic. Lib. 1. c. 3. 4.

[24]) Untersuchung ueber die Natur und die Ursachen des Nationalreichthums von A. Smith. Breslau 1795. B. II. Cap. IV.

physiocratico huic judicio sese addixerint, magna tamen scriptorum pars operarum neglectioni assensum recusabat. Nam non modo Lauderdale discrimen risit, quod positioni, laborem esse pretii mensuram, contradicit [25]) sed etiam ii, qui Smithii vestigia observant, James Brougham atque John Craig [26]) jam intellexerunt, operas etiam secundum Smithii verba esse productivas, quia eorum praestatione corporea bona plura comparantur, quam consumuntur. Apud Gallos Charles Ganilh [27]) injuriam detexit, quae operis illata est, probavitque, operis, qualescunque sint, productionem bonorum corporeorum augeri. Sismondi [28]) autem impugnavit sententiam vulgarem, productionem nationis parsimonia augeri, atque consumptionem prudentem productionis esse verum augmentum defendit, quo dicto operis omnibus summum tribuitur momentum. Apud nostros denique Murhardius [29]), Arndius [30]) atque Poelitzius [31]) appellari possunt, qui operis etiam vim productivam adsignaverunt.

§. 13.

Omnes, qui operas in oeconomiae ambitum recipiendas esse defenderunt, bona tantum corporea ante

---

[25]) Ueber Nationalwohlstand vom Grafen Lauderdale. Berlin 1808.

[26]) I. Craig: Grundzuege der Politik, aus dem Englischen. Leipzig 1816. T. II. c. IV. §. 8.

[27]) Charles Ganilh: Des systèmes d'économie politique, à Paris 1809.

[28]) Simon de Sismondi: Nouveaus principes d'économie politique, à Paris 1818.

[29]) K. Murhard: Ideen ueber wichtige Gegenstaende der Nationaloeconomie u. s. w. Goettingen 1808. p. 89—123.

[30]) K. Arnd: Die neuere Gueterlehre und ihre Anwendung auf die Gesetzgebung. Weimar 1821.

[31]) Poelitz: Die Staatswissenschaften u. s. w. Leipzig 1827. T. II. p. 76.

oculos habuerunt, Henricus autem Storchius[32]) Petropolitanus quam maxime in eo excelluit, quod operas etiam, quatenus bona incorporea proferunt, productivas appellavit atque incorporea quoque opum elementa constituens, oeconomiae novam partem eamque longe sublimiorem addidit. Quoniam autem haec opera hodiernam disciplinam immutatura est, viri doctissimi ei repugnant[33]). Say primus Storchio vehementer se opposuit, verum tamen libello, quod Storchius contra eum scripsit[34]) adeo commotus est, ut in opere suo recentiori eocum consentire videretur.

---

32) Storch: Cours d'économie politique, à Petersb. 1815.

33) Rau: Volkswirthschaftslehre. Heidelb. 1826. p. 35: Im Gebiete der Wirthschaftslehre kommen die persoenlichen Gueter zwar nicht als Bestandtheile des Vermoegens vor, wohl aber als Umstaende — von grossem Einflusz und als Zwekke, auf welche zuletzt jede wirthschaftliche Thaetigkeit bezogen werden musz. Verum omnia bona incorporea non sunt personalia, neque omnia bona personalia, tamquam fines ultimi considerari possunt.

34) Considérations sur la nature du revenu national, à Paris 1824; germanice Halis 1825. Wenn man begriffen hat, dasz das Einkommen in verbrauchbaren Dingen besteht, so ist die vorliegende Frage: begreift das Volkseinkommen auch unkoerperliche Bestandtheile? — in der That leicht zu loesen. Jeder darf nur das Verzeichnisz seiner Ausgaben durchsehen, und er wird finden, dasz er jaehrlich eine Menge unkoerperliche Dinge verbraucht. Die Beduerfnisse sind so mannigfaltig, dasz die koerperlichen Gegenstaende allein nicht hinreichen, selbige zu befriedigen. Der gesellige Mensch will nicht blos genaehrt und gekleidet, mit Wohnung und Hausgeraeth versehen seyn, — — er hat das Verlangen, seine natuerlichen Anlagen zu entwikkeln, — sein Gefuehl will genaehrt, veredelt — erhoben seyn, — er sehnt sich nach einer Menge von Genuessen, die durchaus unkoerperlich sind. Koennen diese Befriedigungsmittel seiner Beduerfnisse von seinem Einkommen, folglich auch von dem des Volks, aus-

Equidem, oeconomiam politicam definiens scientiam statum publicum privatumque perficiendi (Wissenschaft des allgemeinen Wohlseyns), omnino cum Storchio convenio, theoriam autem fugio, quae, opes secernens a felicitate, a via deflexit, eaque solum bona dixit, quae comeduntur, vel in foro venduntur. Quid enim est producere? Bonum proferre. Quid bonum oeconomicum? Res, qua ad fines assequendos utimur. Nonne vero incorporeae quoque res nobis inserviunt? Sane. Rem ideo incorpoream proferre etiam producere dicatur oportet. Quaenam sunt opes (Vermoegen) sensu oeconomico? Copiae bonorum! Atqui res incorporeae sunt subsidia atque etiam bona ~~quoque~~, quare igitur opes non putantur? — Quia non durant? Atqui quo recreor et delector durabilius est eo, quod comedo. Quia materiae non inhaerent? verum si homines aliquid quaerunt, neque durabilitatem neque materiam consulunt, sed indigentias atque facultatem eas explendi respiciunt. Quid materia? Jam Brougham risit definitionem Adami Smithii, musicumque significavit, qui canendo materiam quandam omnino pretiosiorem reddit, quia soni nil sunt nisi aeris quasi undae..... Cum duplex natura hominis sit, neque solum corporeum neque incorporeum, sed utrumque, opes nationum constituat oportet.

---

geschlossen werden? — Erfolge menschlicher Arbeit, sind sie nicht Erzeugnisse? Begehrt von allen, sind sie nicht nuetzlich? Von diesen erzeugt, von jenen verbraucht, sind sie nicht Werthe? Nur die Dienstleistungen sind es, wird man sagen, die gekauft und verkauft werden, nicht aber ihre Erfolge. — Obgleich es, dem Anschein nach, nur Dienste sind, die man begehrt und kauft, so geht doch die Nachfrage in der That auf ihre Erzeugnisse. Ist dies eine neue Vorstellung? hoert man nicht taeglich von den Kosten der Erziehung u. s. w.? Nichts hindert also, die unkoerperlichen Erzeugnisse den Bestandtheilen des Volkseinkommens beizuzaehlen!

Oeconomia, qualem nos cogitamus ideo non modo divitiarum sed etiam incorporeorum bonorum rationem habet justamque proportionem definit. Hanc autem quattuor in partes distribuimus, quarum prima pars inscribitur: Gueterlehre, cap. I: von den materiellen Guetern, cap. II: von den immateriellen Guetern; pars secunda: Finanzwissensehaft; pars tertia: System der Leistungen durch a) Kunst, b) Wissenschaft; pars quarta: Gueterpflege.

FRAGMENTUM TERTIUM.

DE ANTI-OECONOMICO APUD VETERES.

§. 14.

Dignitate oeconomiae defensa probare debemus, eam nil continere, quod rei publicae et communi resistat. Verum cum ea res in consultationem venit, id potissimum animum suspensum tenet, cur veteres gentes, quae sensu publico excelluerunt, oeconomicum parvi aestimandum esse censuerint. Etenim non solum Lycurgus, quem Pythia legislatorem prope divinum declaravit, mercatores et fabricatores omnemque industriam e civitate, quam constituit, proscripserat, sed etiam Moses genti suae commercia prohibuisse dicitur [35]). Solon quidem cives mercatura et fabricatione occupatos educare optavit [36]), attamen multa sunt, quae probent, etiam Athenis, ubi productio bonorum incorporeorum plurimi aestimaba-

---

[35]) G. G. Bredow: Handbuch der alten Geschichte. Altona 1820. p. 125.

[36]) Pauw: Philosophische Untersuchungen ueber die Griechen. Aus dem Franzoesischen. Berlin 1789. T. II. p. 56.

tur [37]), industriam propriam eum, quem hodie occupat, honoris locum non obtinuisse. Scimus saltem ex illa Demosthenis in Eubulidem oratione, legem gravi poena eum afflixisse, qui civem appellaverit mercatorem [38]). Philosophi, quamvis bona corporea non despexerint, eorum tamen productionem cive dignam non putabant. Sic Aristoteles eos, qui mercemoniis studebant, pleno jure civili donari vetat atque praecipit, ut cives vacatione ab omni labore gaudeant [39]). Quin Cicero ipse quaestus omnes, qui liberales habendi non sunt, sordidos putat [40]).

Profecto, qui veterum sagacitatem atque sapientiam politicam perspectam habet, his legibus et sententiis insistere potest, oeconomici contemtionem e prudenti liberoque consilio tamquam pulcherrimum sensus publici documentum deducturus. Verum a veneratione veterum non discedimus, etiamsi hanc oeconomici despicationem ad rem publicam bene instituendam necessariam seu utilem non cogitamus, quippe aliae harum legum et sententiarum rationes nobis patent.

§. 15.

Quod philosophos attinet, in dubitationem quidem vocari nequit, eos cives nonnisi rebus publicis et divinis occupatos optasse, inter primas autem civis virtutes vacationem a labore propterea posuisse videntur, quod eos tantum cives appellabant, qui gubernii participes esse poterant [41]). Rem publicam administrare ii sane non valent,

---

37) Servus aestimabatur 2 ½ Minarum, Protagoras vero a discipulo quolibet accepit 100 Minas. A. Boeckh: Die Staatshaushaltung der Athener. T. I. p. 173.

38) Demosthenis orationes, edit. Reisk. pag. 1308.

39) Politicor. Lib. II. c. 6. init.; lib. III. c. 5.

40) De officiis. Lib. I. c. 42. §. 150.

41) Politic. Lib. III. c. 1. seq.

qui vitae communis negotiis atque curis distrahuntur. Industria autem despicienda non erat. Sine dubio philosophi grave illud in ordinem opificum praejudicium sequuti sunt, quod apud gentes, quarum omnia negotia domestica a servis peraguntur, oriri debuit. Quam sententiam Aristoteles probat, qui de oeconomicis loquuturus se excusat; *πάντα τὰ τοιαῦτα τὴν μὲν θεωρίαν ἐλεύθερον ἔχει, τὴν δ' ἐμπειρίαν ἀναγκαίαν* [42]). Jam ipsa servitus anti-oeconomica est. Fortasse veteres sibi persuasum habebant, servitutem esse verae rei publicae fundamentum, quia civibus otium continuum procurat [43]), cui opinioni veritatem denegamus. Etenim hoc otium summa injuria acquisitum effecit, ut ubique demagogiae aditus pateret et legum latores cogerentur, ditioribus tantum civibus jura politica adsignare. Denique quia lege opum aequalitas servari non potest [44]), servitus illa latissima divitias reddidit perniciosas. Cives enim, qui in paupertatem redacti sunt, propter immensum servorum numerum [45]) victum labore quaerere non potuerunt, fortasse etiam propter contemtum industriae noluerunt. Qua de caussa cives pauperiores procerum satellites evaserunt indeque rem publicam destruxerunt.

§. 16.

Leges vero, quae in damnum industriae latae sunt, in genere nil probant, nisi quod legumlatores aristocratici bene intellexerunt, industriam oligarchiae (sensu Aristotelis) gravissima struere impedimenta. Ut enim certis

---

42) ibidem lib. I. c. 4. in.

43) W. T. Krug: De Aristotele servitutis defensore. Lips. 1813.

44) Pour que les richesses restent également partagées, il faut que la loi ne donne à chacun que le necessaire physique. Montesquieu, de l'esprit des lois. Livre VII. chap. I.

45) Athenis 20,000 cives, 10,000 *μέτοικοι* et 200,000 servi exstiterunt. A. Boeckh: Die Staatshaushaltung der Athener. T. I. p. 38.

familiis potestas et gubernium maneat, opes non distribuantur oportet. Industriae autem vis quaedam non modo productiva sed etiam distributiva inest, ita ut, ubicunque locorum industria desit, opes in paucis manibus reperiantur, verum simulac mercatura effloruit, divitiae diffundi videantur [46]). Unde venit, ut leges, quae oligarchiae vias parabant, industriam quoque despicerent et versa vice leges, quae oligarchiam limitabant, opifici et mercatori opem ferrent.

Solon, Themistocles, Pericles, Alcibiades, nobilium parum fautores, non modo omnibus, qui in fabricationem aut mercaturam incumberent, legis tutelam procurabant sed etiam nullo non loco, nullo non tempore, quibuscunque possent rebus, existimationem et honorem maximum tribuebant [47]). Aristocratici contra jura opificum et mercatorum omni modo tollere et industriae maculam aspergere conati sunt. Sic Diophantes, qui Olymp. 96. Athenis praefuit, dura quadam lege opifices in servile famulatus publici jugum mittere et compellere ausus est [48]).

---

[46]) Eiselen quidem (Handbuch des Systems der Staatswissenschaften. Breslau 1828.) huic sententiae contradicere videtur, verum specie tantum. Dicit enim pag. 20: So entwikkelt sich eine allgemeine Abhaengigkeit von dem Kapitale der Einzelnen — wovon wieder das Anhaeufen des Vermoegens auf immer wenigern Punkten — die Folge ist. Auctor ille casum ponit, ut omnes, qui producunt, eadem arte et ingenio eodem gaudeant — bey vorausgesetzter gleicher Einsicht und Geschicklichkeit —. Quem casum ponere non licet, si de industria gentium sermo est. Operariorum Anglicorum paupertas ex aliis rationibus explicari potest.

[47]) A. Boeckh. l. c. Nitsch: Beschreibung des Zustandes der Griechen. Tom. IV. pag. 493 — 494.

[48]) Politicor. Lib. II. c. 4. Schlosser legem nunquam exercitam esse affirmat. (Aristoteles Politik, Lueb. 1798. p. 146.)

Lycurgus quidem industriam aliis de caussis fugavit. Aequalitatem enim bonorum hac lege prohibente servare voluit, veruntamem illud praescriptum, quod mercaturam et fabricationem propulsavit, oligarchiam instituit. Legislator agros urbanos inter 9000 cives distribuit, attamen Agidis III. tempore omnes agri in manibus centum civium reperti sunt [49]).

§. 17.

A veteribus igitur exempla non repetat, qui oeconomicum parvi esse aestimandum docere studet. Si jure productionem incorpoream accipimus, atque oeconomiae curam incorporeorum quoque bonorum adsignamus, tum veteres atque inprimis Graeci pulcherrima oeconomiae subtilioris rudimenta nobis praebent. . . . .

Philosophi aeque atque legumlatores felicitatem inter fines rei publicae posuerunt (*ἡ δὲ κοινωνία — γινομένη οὖν τοῦ ζῆν ἕνεκεν, οὖσα δὲ τοῦ εὖ ζῆν*) [50]), verum non modo divitias cumulandas censuerunt, sed etiam bona incorporea proferenda esse aperte edixerunt. Quem in finem potissimum convivia illa communia, ludi, spectacula aliaque multa spectant. Jam vero eo, quod bene esse vocatur *καλῶς πράττειν*, Graeci semper moniti sunt, opes nil esse nisi adminicula honeste agendi, *καλὰ πράττειν* [51]). Quamobrem eos politicos vituperabant, qui divitiis (opibus corporeis) solum studerent (*πολιτεύονταί τινες τῶν πολιτευομένων ταῦτα μόνον!*), et felicitatem incorporeis rebus magnopere inniti sibi persuasum habebant.

---

[49]) Plutarch. in vita Agidis III. c. 5.

[50]) Arist. Politic. Lib. I. c. 1.

[51]) Arist. Politic. Lib. VII. c. 1. (p. 217. ed. Goettl.): *Ἀδύνατον δὲ καλῶς πράττειν τοῖς μὴ τὰ καλὰ πράττουσιν.*

FRAGMENTUM QUARTUM.

DE OECONOMICO ATQUE PUBLICO.

§. 18.

Nunc demum indagari debet, num oeconomia, quae rem atque salutem privatam servat, simul rem salutemque publicam spectare possit? Res profecto affirmanda est, quia orbis rei privatae orbe rei publicae continetur, sicuti domus in civitate inest. Qui salutem publicam tollit, salutem quoque privatam delet, verum sicuti terra nostra, dum circa semetipsam volvitur, etiam solem circumgreditur, ita civis divina quadam institutione, dum rem familiarem perficit, etiam rem publicam spectare debet. Quare non perspicio, cur Vollgraffius characteres centrifugales politicos finxerit, verum Aristoteli assentio, qui eum, qui societatem inire spernat, Deum putat vel — brutum [52]).

§. 19.

Industria ipsa falso accusatur, aliquid rei publicae adversi continere; historia enim testatur, industriam sensum publicum potius excitasse, quam exstinxisse. In quascunque Europae partes oculos convertas, magnos industriae effectus politicos conspicies. Quin etiam civitates tibi obveniunt, quae industriae originem debent. Italia effloreścit, atque Venetia, Pisa, Janua et Mediolanum splendorem et libertatem urbium Graecarum revocare videntur, attamen nonnisi commercium est, quod hisce rebus publicis fundamentum posuit [53]). Quis est, qui

---

[52]) ibidem lib. I. c. 1. fin. *Ὁ δὲ μὴ δυνάμενος κοινωνεῖν ἢ μηδὲν δεόμενος — ὥστε θηρίον ἢ θεός.*

[53]) Denina (Staatsveraenderungen von Italien. Leipzig 1771. T. II. C. 11. c. 1.) alias quidem caussas indicat, verum ad ultimam non regreditur.

ignoret, jam Meinersium gentibus Slavicis facultatem politicam denegasse? Atqui saeculo decimo tertio in Rossia boreali civitates liberae fulgent, quae summam merentur aestimationem. Cum enim princeps Moscoviae eas sub jugum mittere conaretur, quam fortiter dimicarunt! Mulier quaedam speciosa, Marfa cognomine, Novogorodiae libertatem usque ad ultimum vitae halitum defendit [54]). Atque harum quoque urbium libertatem condidit commercium! Sed opus non est, ut ad saecula remota recurramus, sufficit ad Americam borealem respicere, cujus civitates industria adhuc vigent et excellunt. Homines pauperes, profugi in regionibus ad Laurentii flumen confluxerunt, nullo nisi industriae vinculo inter se juncti, iique et prae ceteris opifices, fabricatores atque mercatores, cum a. 1764 salus privata eorum laesa esset, surrexerunt et bello commoto jugoque Anglico rejecto, postquam victores discesserant, 25 Maj. a. 1787 foedus politicum inierunt, quod celeberrimum juris publici exemplar exhibet [55]).

§. 20.

Quae ad jus publicum constituendum postulantur, etiam in oeconomia politica desiderantur, ita ut, si quis juris caussa civitatem conderet, alter vero ex praeceptis oeconomicis, utraque civitas eodem auctore constituta videatur. Quid enim in jure gravius est servitutis exstinctione? Atque eam oeconomiae politicae debemus. — Quid justius est occupationum libertate? Oeconomia impedimenta removit.... Illa juridica possibilitas res publicas disquirendi, quam publicitatem nuncupamus, juris publici Palladium dicitur, eamque tamquam primam rei aerariae conditionem etiam oeconomia postulat. — Etenim, teste historia, nonnisi exstante quadam publicitate optima tribu-

54) H. Storch: Gemaehlde von Russland. T. IV. p. 143.

55) R. Mohl: Das Bundesstaatsrecht der vereinigten Staaten von Nordamerica. Stuttgart 1824.

torum impositio[56]), vilissima exactio[57]) et impensio probissima[58]) exspectari potest.

Si quis sub jure publico Graecum solum intelligere velit, oeconomiam politicam eocum non consentire utique concedo, verum quis mortalium exigere potest, ut omnes gentes de optima civitate unam eandemque ideam sibi forment? — Plato ipse cultioribus nostris regnis annueret, quia philosophus prope divinus jam summam rei publicae virtutem summa regentium sapientia niti docuit[59]). Oeconomia quoque formulam rei publicae (Constitution) postulat, quamvis non Graecam. Peripheriae oeconomiae et juris cum in re privata tum in re publica iisdem punctis definiuntur, id quod sequente schemate demonstramus.

---

[56]) Minister enim publicus capita (Capitalien) laedere debet, nisi cives, rei aerariae virtute penitus perspecta, libenter censum subeunt. Id quod apud veteres factum est.

[57]) In re publica Romana senatus solus rem aerariam administravit et nonnisi Censores et Quaestores opus fuerunt. In Imperio autem Romano Tabellarii, Ponderatores, Mensarii, Censitores, Exactores locum tenuerunt, verum cum Juvenali quaerendum est:

— — quis custodiat ipsos
Custodes?

[58]) In Anglia, regnante Cromvellio res aerariae publici juris factae non sunt, at constat, usurpatorem 60,000 ℔ speculatoribus suis et 679,000 ℔ adjutoribus suis sceleratis solvisse.


[59]) Plato de republica lib. VI. 499.

Hegelius in libro: Grundlinien der Philosophie des Rechts, Berlin 1821, saepius Platonem acerbe reprehendit, verumtamen agnoscit philosophum Graecum neutiquam ad eos pertinere, de quibus ita: Man sollte meinen, als ob — man jetzt ganz von Vorne anzufangen habe. Von der Natur giebt man zu, dasz die Philosophie sie zu erkennen habe, wie sie ist, dasz — sie in sich vernuenftig sey. Die sittliche Welt dagegen soll — dem Zufall preisz gegeben — Gott verlassen seyn u. s. w.

FAMILIA.



CIVITAS.



Apud veteres jura politica a quantitate redituum dependebant, in civitate vero oeconomica classes civium non sola pecunia (quamvis id fiat), sed functionibus definiantur necesse est. Vera oeconomia illud divitiarum momentum potius comminuit quam auget. . . . .

FRAGMENTUM QUINTUM.

DE SUI AMORE ET SENSU PUBLICO.

§. 21.

Rem sane ita reliqui, ut non tenuis adhuc restet scrupulus, utrum oeconomia eum, quem ipsi desideramus, sensum publicum enasci admittat? Dicunt enim ii, quorum opiniones resolvere contendimus, in vita publica non sufficere, ut magna quaedam fiant et instituantur, sed rationes quoque, ex quibus aliquid fiat et instituatur, magni esse momenti. Quoniam autem inter omnes constat, sui amorem lucrique studium omnibus subesse, quaecunque oeconomicis consiliis struantur, etiam civitatem oeconomicam, quamvis formam juris publici perfectissimam exhibeat, tamquam speciosam egoismi aedem fugiamus et detestemur oportet.

Uti philosophi falso docuerunt, studia oeconomica moralitati nocere, ita politici perperam sensum publicum, quem in civitatibus hodiernis reperimus, impurum et turpi sui amore depravatum suspicantur. Frustra Vollgraffius, qui Americanos sinceri publici sensus impotes declarat, testes appellat, nam iis quoque nullam fidem tribuimus[60]. Si industria nonnisi egoismum procreat, tum

---

[60]) Auctor libri: North-America and the United-States, Lond. 1827, jam intelligit, oeconomiam rudem nunc quidem regnare, brevi autem sublimiori cedere debere. Bl. f. l. U. 1829. N. 125.

neque intelligo, quare apud gentes industrias rem publicam et privatam perfectissimam inveniamus, neque heroismum Carthaginiensium, virtutem Batavorum, Anglorumque magnanimitatem mihi explicare possum. Quid? societatem si respicimus, e qua civitates originem ducunt, familiam scilicet, tum experimur, oeconomiam non egoismo sed amore niti, eamque, quo perfectior sit, eo magis in amorem augendum influere. Nonne ergo oeconomiae publicae eandem sensus moralis excitandi vim vindicare possumus?

Concedo quidem, illam vitae individualis exstinctionem, quam apud veteres conspicimus et admiramur, in civitate oeconomica non reperiri, attamen recte defendimus, vitam individualem debere postulari. Quoniam enim homo non solum partem gentis constituit, sed etiam se solum spectat (Zweck an sich), neque vita privata exstinguenda, neque omnis sui amor criminandus est.

§. 22.

Si oeconomia egoismum gignit, tum ea non est vera, et legumlatores divitias non ut auxilia scd ut fines ipsos tractant. Vera enim oeconomia praecipit, ut, qui leges instituant, mente animoque finem ultimum productionis terrestris considerent. Dum secundum pulcherrimam Platonis allegoriam populus in specu obscuro versatur, legumlatores ad loca lucida ascendere et res intueri debent, quarum umbrae tantum in antrum cadunt, ut deinde edicturi veram significent rerum speciem. Quascunque enim leges in mundo terrestri condere velis, in mundum non aspectabilium animo evectus sis necesse est. Quamvis recentiores scriptores ea abusi sint [61]), digna tamen quam etiam atque etiam perpendamus, illa est sententia, quae

[61]) A. Mueller: Von der Nothwendigkeit einer theologischen Grundlage der Staatswissenschaften und der Staatswirthschaft insbesondre. Leipzig 1819.

Platonem in Kallipoli sua construenda duxit, neminem scilicet rem publicam vel privatam sapienter curare posse, qui divinum utpote solem ante oculos non habeat [62]).

Hisce demonstratis ad alteram dissertationis partem transeo.

SECTIO ALTERA.

DE OECONOMIAE POLITICAE CONSENSU CUM JURE PRIVATO.

§. 23.

Jus privatum et salus privata omnino congruunt. Quoniam autem oeconomia salutem privatam spectat, ea etiam cum jure privato consentit. Quidquid igitur injustum est, id etiam anti-oeconomicum vocari debet.

Jus privatum continet leges, secundum quas relationes civium ad se invicem, praesertim quod res attinet, dijudicari et decerni debent, oeconomia vero hasce relationes ipsas, quales in rerum natura locum tenent, tradit et illustrat, unde sequitur, jus privatum quodammodo oeconomiam habere fundamento. Quidquid est anti-oeconomicum, necessario etiam injustum est, quia alicui aliquid tribuitur, quod suum non est.

Exstat autem aliquod jus naturae privatum, quod omnem institutionum civilium perfectionem interpellat, cui oeconomia recte contradicit.

---

62) De republica. VII. 517. B. — *ἐν τῷ γνωστῷ τελευταία ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα καὶ μόγις ὁρᾶσθαι, ὀφθεῖσα δὲ συλλογιστέα εἶναι, ὡς ἄρα πᾶσι πάντων αὕτη ὀρθῶν τε καὶ καλῶν αἰτία — καὶ ὅτι δεῖ ταύτην ἰδεῖν τὸν μέλλοντα ἐμφρόνως πραξεῖν ἢ ἰδίᾳ ἢ δημοσίᾳ.*

Quamvis enim status socialis nobis vere naturalis videatur, tamen jurisconsulti, inprimis Kantiani, statum non socialem ut naturalem cogitant et jus privatum fingunt immodicum, idque totum, quamquam societatem antegredi dicitur, in civitatem inducere cupiunt. Verum possuntne res civiles secundum normas decerni, quae singulum hominem centrum quasi totius mundi faciunt atque civitate non posita formantur? Nonne talis idea societatem dissolvere et civi particula terrae et jure suos verberandi satisfacere posse videtur? Tamen haec opinio inconcinna legibus quoque positivis obtruditur. Sic lex Austriaca praecipit, ut lege silente primum ad analogiam deinde ad praescripta rationis humanae respiciendum sit [63]). Profecto lex tantum ea significat praecepta, quae ratio nostra in certo casu, posita civitate, praescribit: tamen jurisconsulti Austriaci hisce verbis illud jus privatum inconcinnum subintelligendum esse putant.

Oeconomia omnes institutiones, quae ex hac falsa opinione vel potius fictione fluunt, removere debet. Quem ad modum ea cum jure privato non perverso conveniat, optime exemplis monstratur. Quare contractum quendam gravem, locationem conductionem operarum et operis secundum oeconomiae normas adumbremus atque ad leges positivas Romanas, Borussicas, Austriacas, Gallicas et Anglicas respiciamus!

---

[63]) Oestreich. Allg. Buerg. Gesetzb. §. 7:

Laeszt sich ein Rechtsfall weder aus den Worten noch aus dem natuerlichen Sinne eines Gesetzes entscheiden, so musz auf aehnliche in den Gesetzen entschiedne Faelle Ruecksicht genommen werden. Bleibt der Rechtsfall noch zweifelhaft, so musz solcher mit Ruecksicht auf die Umstaende nach den natuerlichen Rechtsgrundsaetzen entschieden werden.

FRAGMENTUM PRIMUM.

DE LOCATIONIS CONDUCTIONIS OPERARUM ET OPERIS NATURA ET INDOLE.

§. 24.

Locatio conductio operarum et operis contractus est, quo alter operas vel opus (sensu stricto [64])), alter mercedem promittit. Simplicitatis caussa a verborum significatione Romana declinantes locatorem (Arbeitvermiether) semper eum dicimus, qui laborem praestare promittit, conductorem (Arbeitbesteller) eum vocamus, qui mercedem promittit [65]).

Haec quidem locatio conductio, de qua agimus, exigit, ut opus s. str. nondum existat, quia alioquin locatio conductio rei locum teneret; ea autem non postulat, ut conductor materiam ex suo det. Etenim mandatum et labor constituunt locationem et conductionem, materia vero nil ad rem refert. Itaque quam maxime lex Romana reprehendi potest, quod contractum, si opifex materiam ex suo dat, emtionem venditionem appellat [66]). Hoc

---

[64]) Opus sensu latiore idem est ac: materielle Arbeit. Opus sensu strictiore significat corpus aliquod ex opere perfectum. Fr. 5. D. L. 16. de verb. sign.

[65]) Secundum legem Romanam locator operis v. c. aedificii architectus non est, sed alter; architectus est conductor operis et locator operarum. Conf. C. A. Haase de opere locato et conducto Rom. comment. Lipsiae 1814.

[66]) §. 4. J. III. 25. de locatione et conductione. Quaeritur, si cum aurifice Titius convenerit, ut — ex auro suo — annulos faciat, utrum emtio venditio an locatio et conductio contrahi dicatur? — Placuit tantum emtionem venditionem contrahi.

discrimen cum veritati repugnat tum legum simplicati obest. Quare Cassius rem melius expedivit, quod materiae quidem emtionem venditionem, operarum autem locationem conductionem fieri asseruit.

Leges recentiores discrimen vitiosum evitabant, quia ad oeconomicam conductionis notionem respiciebant. Lex tantum Austriaca, si res dubia est, emtorem ponit eum, qui materiam opifici non dedit [67]).

§. 25.

Locatio conductio operarum et operis, ut ait Paulus (Fr. 1. D. XIX. 2. loc. cond.), naturalis est et omnium gentium. Quare nunc Romanus fortasse abhorreret a legibus, quae homines ad hunc contractum cogant. Neque annueret legi Germanicae quae liberos rusticorum adstringit, ut dominis in famulatum se tradant [68]), neque semper assentiret Anglis, apud quos pauperes, qui mercemoniis egent, per irenarcham in officinas ducuntur [69]). Procul dubio quidem nemo erit, qui magistratui deneget facultatem, cives ad laborem adigendi, at quivis nostrum imitandam censebit legem Atticam, quae patres ob filiorum neglectionem poena afflixit neque tamen liberis quaestus sibi eligendi arbitrium ademit [70]).

---

[67]) Oestr. Allg. B. Gesetzb. II. 26. §. 1158.

Im Zweifel, ob die Bestellung fuer einen Kauf oder Lohnvertrag zu halten sey, wird vermuthet, dasz derjenige, der den Stoff dazu liefert, die Arbeit bestellt habe.

[68]) Conf. Die Dienste, ihre Entstehung, Natur und Schicksale, von Dr. P. Wigand. Hamm 1828.

[69]) W. Blakstone's Handbuch des Englischen Rechts. Aus dem Englischen, von H. F. C. von Colditz. Schleswig 1822. I. Buch. XIV. Cap. pag. 209.

[70]) Nitsch: Beschreibung u. s. w. der Griechen, fortg. von J. G. S. Koepke. Erfurt 1806. IV. S. 51.

Oeconomia leges illas contemnit, quamvis in ejus favorem latae videantur. Extra dubium est, famulos, qui coacti serviunt, neque diligentissimos esse neque fidelissimos, verum patet etiam, Anglos illa lege finem saepe non attingere, quem sibi praefigunt. Cum enim prohibere conentur, quominus mendicorum numerus augeatur, operariorum tamen numerum, cum pueros in fabricas deducant ministros, saepe sine modo multiplicant indeque laboris pretium non raro ita diminuunt, ut vel diligentior non habeat, unde vivat.

§. 26.

At hoc videbitur justum, ut lex contrahentibus opem ferat et infirmiorem defendat contra potentiorem. Hoc simul oeconomicum est. Quaeritur autem, num Francogallorum codex imitandus sit, qui, ne famuli quodammodo servi fiant, constituit, ut homines in certum tantum tempus vel ad certam occupationem conduci possint [71])?

Quae quaestio quamvis ad jus privatum spectet, eam tamen nonnisi oeconomia politica bene solvere potest. Lex, de qua agimus, omnino aequa est et utilis in civitate, ubi incolarum frequentia tanta jam est, ut laboris partitio ad negotia quoque quotidiana pertineat, deinde ubi servitus adhuc est limanda. Qua de caussa ea lex, in Gallia profecto saluberrima, effecit, ut famulatus nil haberet turpitudinis. Ponas vero terram, ubi adhuc laboris partitio nulla sit, vel ubi famuli nullo modo servi videantur aliaeque necessitates inter dominos et famulos intercedant, tum profecto legem hanc injustissimam censeas necesse est. In Batavia famuli et ancillae arctissimo, paene cognationis vinculo cum

---

[71]) Code Napoléon. L. III. T. VIII. Ch. III. §. 1780.

On ne peut engager ses services qu'à temps ou pour une entreprise déterminée.

dominis junguntur [72]). Appellant enim non solum patrem familiae patruum, matrem familiae amitam, filios autem adultos patrueles, sed eos omnes etiam praenomine vocant inque domo vivunt et moriuntur. Profecto in Batavia illa lex Gallica superflua esset et cum magna tantum injuria adhiberi posset.

§. 27.

Quicunque operas vel opera praestare valet, etiam facultate ea promittendi gaudere debet. Leges ideo illae, quae in favorem corporum opificum certis solum opificibus jus labores praestandi tribuunt, non modo injustae sunt sed etiam anti-oeconomicae. Quaeritur, utrum auctoritas tutoris etiam in operis a pupillis suscipiendis interponenda sit nec ne. Et [illegible] — adhuc sub judice lis est.

Codex quidem Borussicus ei, qui sub tutela alterius est, liberam de labore contrahendi facultatem non permittit [73]) lex Austriaca autem permittit [74]). Oeconomia

[72]) J. Grabner: Ueber die Vereinigten Niederlande. Gotha 1792. pag. 273.

[73]) Preussisches A. Landrecht. I. 5. §. 20—21.

Pflegebefohlne, welche unter vormundschaftlicher Genehmigung sich zu einem gewissen Zwekke — bestimmt haben, sind faehig, alle Vertraege zu schliessen, ohne welche sie diese Bestimmung nicht erreichen koennen.

[74]) Oestreich. A. Buerg. Gesetzb. I. 4. §. 246.

Hat der Minderjaehrige auch ohne Einwilligung des Vormunds sich zu Diensten verdungen, so kann ihn der Vormund ohne wichtige Ursache vor der — Zeit nicht zurueckrufen. Was er auf diese oder eine andere Art durch seinen Fleisz erwirbt, darueber kann er frey verfuegen.

legi huic, quae sine dubio justissima est, consentit. Labor enim actio est, quae pupillo semper est utilis, unde negotium, si pupillus laborem promittit, non claudicat.

FRAGMENTUM SECUNDUM.

DE MERCEDE.

§. 28.

Merces est, quod pro operis vel pro opere promittitur. Illud quidem, quod viris doctis promittitur, honorarium dicitur [75]), verum fugio discrimen, quod vel superbia vel manca rerum aestimatione ortum est; omne enim id, quod homo functione honesta acquirit, ei honorarium est. Merces recte dicitur attributum contractus necessarium, quia is, qui laborem praestat, incitamentum fructumque habeat necesse est. Consistit autem merces in omni re, quae praestanti prodesse potest. Qua de caussa merces quidem saepissime pecunia numerata definitur, veruntamen aliis quoque rebus determinari potest. Peccant ideo leges Romanae, quae constituunt, ut merces numaria contrahatur [76]). Lex autem Austriaca [77]), legem Romanam sequuta, quid consequutúra est? Nihil scilicet, quia praecipere debuit, ut contractus, qui laboris mercedem fructibus, mercibus vel juribus consistere proponit,

---

75) Fr. 1. D. II. 38. loc. cond. . . . Advocati — honoraria reddere non debent.

76) §. 2. J. III. 25. de loc. et cond. — Et placuit non esse locationem conductionem sed proprium genus contractus....

77) Oestreich. A. B. Gesetzb. II. 26. §. 1151.

Wenn jemand sich zur Dienstleistung oder Verfertigung eines Werks gegen einen gewissen Lohn im Gelde verpflichtet, so entsteht ein Lohnvertrag.

secundum rationes locationis conductionis omnino tractetur [78]). Lex Borussica [79]) jam mercedem vel pecunia, vel actione, vel alia re definitam cogitat, solummodo si merces definiatur re, ad regulas emtionis venditionis, si definiatur jure, ad cessionis regulas respicere praecipit. Gallica lex [80]) optime mercedis qualitatem contrahentibus determinandam relinquit.

§. 29.

Merces tanta sit oportet, quantam contrahentes definiunt. Mira igitur Anglica lex [81]), quae operariis, in fabricatorum domibus non occupatis per irenarchas (Friedensrichter) mercedem constituendam praecipit, ita quidem, ut neque plus neque minus praescripto exposcere possint. Civitas enim ne minimum quidem commodum percipit, verum opifices in favorem divitum fabricatorum quasi immolantur. Operarius doctior ea tantum ratione imperitum superat, si multa eaque brevi tempore praestat, quibus ipsis, quod plura producit, quaestum comminuit, quia auctis operibus non simul redemptiones augentur.

---

[78]) ibidem §. 1173.

Die Vertraege, wodurch eine Sache oder eine Handlung fuer eine uebernommene Handlung versprochen wird, siud — nach den in diesem Hauptstuecke aufgestellten Regeln zu beurtheilen.

[79]) Preussisches A. Landrecht. I. 11. 8. §. 875.

Ist fuer die uebernommene Handlung nicht Geld oder Geldeswerth oder eine andere Handlung, sondern eine Sache oder die Abtretung eines Rechts, versprochen worden, so sind die Pflichten des Versprechenden nach den Regeln vom Verkauf oder von der Cessionsleistung zu bestimmen.

[80]) Code Napoléon. L. III. T. 8. Ch. 1. §. 1710.

— un prix convenu entr'elles (les parties).

[81]) Blakstone's Handbuch des Englischen Rechts u. s. w. I. B. XIV. Cap.

§. 30.

Si de mercede nil contractum est, opifex secundum leges Borussicas prorsus non tenetur[82]). Austriaca[83]) autem lex in eo casu mercedem a judice definiendam esse praescribit. Quod sane justissimum est, quia nulla actio ad nihilum redigi debet. Si opifex jam praestiterit, aut merces tantum dubia sit, Borussica quoque lex definitionem mercedis judici praescribit[84]), quod praeceptum absque justa oeconomiae cognitione paene exerceri non potest. Etenim laboris pretium determinare, res difficillima est, quia pretium (Preisz) tempus praeteritum, praesens et futurum opificis spectat, atque compensationem expensarum, oblationem necessariorum et incitationem ad novas operas continere debet. Quomodo judex hanc rem expedibit, nisi de pretii natura cogitaverit? Verum quidem est, eum debere rei peritos consulere, sed ne injustum det responsum, peritorum testimonia etiam examinet necesse est. Oeconomia ideo legis vices tenet. Sola lex Borussica[85])

---

82) Preussisches A. Landrecht. I. 11. 8. §. 872.

Ist gar keine Verguetung bestimmt, so ist der Vertrag ohne rechtliche Wirkung.

83) Oestr. A. B. Gesetzb. II. 26. §. 1152.

Ist der Lohn weder durch die Verabredung noch durch ein Gesetz festgesetzt, so bestimmt ihn der Richter.

84) Preussisches A. Landr. I. 11. 8. §. 871.

Ist diese Verguetung nicht hinlaenglich bestimmt, so musz die fehlende Bestimmung nach den Gutachten der Sachverstaendigen ergaenzt werden.

85) ibidem §. 873.

— Gehoert die Handlung zu seinen gewoehnlichen Nahrungs- oder Berufsgeschaeften, so kann er dafuer den gewoehnlichen Lohn nach dem Gutachten der Sachverstaendigen fordern. Gehoert der Handelnde nicht unter diese Klasse, so kann er eine Verguetung nach dem niedrigsten Satze der Sachverstaendigen fordern.

paucis indicat, quomodo judex in pretio constituendo versari debeat, praescribit enim, ut inquiratur, utrum opifex e studio an officio laborem praestet? si primum sit, merces solita, si alterum, ea, quam periti minimam definiunt, locum teneat. Verum non sufficit, ut judex ad opificis personam respiciat, sed laborem etiam perpendat opus est. Pretium igitur eo majus esse debet, quo plures res ad fabricationem praeparandam pertinent, quo majorem animi cultum labor flagitat, quo majori cum molestia conjunctus est et quo rarius quaeritur [86]). Labor qui dicitur artificialis majoris aestimandus est illo, qui dicitur communis, quia ille majores sumptus exposcit. Operae communes viliores sunt operibus communibus, quia saepius quaeruntur. Labor artificialis, qui cum ingenioso (liberali) conjunctus est, pretiosior est, atque inter labores ingeniosos etiam ille, qui majore technica arte nititur, plurimi haberi debet [87]). Sunt quidem, qui hanc comparationem liberalium et illiberalium functionum fugiant, ii tamen obliviscuntur, conductores, quamdiu labores liberales ad res inaestimabiles [88]) numerabantur, potiores fuisse. Pro-

---

[86]) Fr. B. Weber: Lehrbuch der politischen Oeconomie. Breslau 1813. Tom. I. pag. 176—230.

[87]) Equidem discerno inter communem, artificialem et ingeniosum (liberalem) laborem, quia non sufficit, ut duce Smithio inter communem et artificialem tantum discernatur. Etenim labor ingeniosus proprie dexteritate et scientia non innititur, sed vim naturae flagitat, quam ingenium appellamus. Jam Aristoteles triplicem, quod facultatem attinet, laborem constituit: *εἰσὶ δὲ τεχνικώταται μὲν τῶν ἐργασιῶν, —— βαναυσόταται — δουλικώταται.* Politic. Lib. I. c. 4. pag. 20. fin. ed. Goettl.

[88]) Oestreich. A. B. Gesetzb. II. §. 303.

Sachen, deren Werth durch keine Vergleichung mit andern im Verkehr befindlichen Sachen bestimmt werden kann, heissen unschaetzbare.

fecto id solum signum servitutis est, si, ut Cicero ait[89]), ipsa merces auctoramentum servitutis habetur, nilque viro docto magis est dedecori, quam de sordidis artibus loqui!

§. 31.

Non solum constituendum est, quanta merces sit, sed etiam, quo tempore praestari debeat. Leges positivae omnes in eo conveniunt, quod labore perfecto merces solvenda sit. Id quod justum est, quia ille, cujus praestatio difficilior est vel facile perverti potest, prius praestare debet. Verum id quoque reputandum est, multos operarios reditus extraordinarios non habere, neque aliunde sibi victum comparare posse, quare exceptio quaedam fieri debet, si labor longius tempus flagitat. Atque ex ea ratione oeconomica lex Austriaca praecipit, ut opifex partem mercedis postulare possit, quamprimum certum per tempus vel certam laboris partem operatus sit[90]). Haec tamen lex raro efficax erit, quia operarius timere debet, ne conductor ei renuntiet. Qua de caussa in auxilium vocaremus legem illam Borussicam, quae conductori sine caussa renuntianti imponit, ut operario usque ad id tempus quotidianam mercedem det, donec ille quaestum alium reperire potuerit[91]).

---

[89]) De officiis. Lib. 1. cap. 42. §. 150.

[90]) Oestreich. A. B. Gesetzb. II. 26. §. 1156.

In der Regel gebuehrt der Lohn nach vollbrachter Arbeit. Wird aber die Arbeit in gewissen Abtheilungen der Zeit oder des Werks verrichtet, so ist dieser (der Arbeiter) befugt, einen — Theil des Lohns vor gaenzlich verrichteter Arbeit zu fordern.

[91]) Preussisches A. Landr. I. 11. §. 918.

Wird die Arbeit durch Schuld oder Willkuehr des Dingenden abgebrochen, so musz derselbe — dem Arbeiter, so lange bis er Arbeit zu finden Gelegenheit hat — das gewoehnliche Tagelohn entrichten.

FRAGMENTUM TERTIUM.

DE TEMPORE OPERAS VEL OPUS PRAESTANDI.

§. 32.

Opifex tempore definito laborem praestare obligatur, quod si non fit, conductor contractu non obligatur, sibique ut satisfiat postulare potest. Sin vero contrahentes de tempore non convenerint, conductor poscere potest, ut locator rem statim aggrediatur, attamen, lite orta, judex rebus bene perpensis diem dicere debet [92]).

In die designando opus est, ut judex partium habeat rationem, ubi non sufficit diligenter exquirere, utrum conductor re careat nec ne, verum etiam in laboris naturam respicere debet. Itaque videndum est, quo tempore labor omnino praestandus sit et ad quem usque diem opifex opus perficere valeat. Discrimen proinde, quod oeconomia inter laborem communem, artificialem et ingeniosum facit, maximi est momenti. Labori communi brevius tempus adsignandum est quam artificiali, artificiali brevius quam ingenioso. Labor enim ingeniosus ab arbitrio opificis non pendet, quare dies ei raro dici potest. Sunt quidem, qui celeriter operentur, ut Tintorettus, verum sunt etiam, qui Gerardo Dowio similes sint, quem quinque dies manubrium scoparum pinxisse constat. Judex igitur diligenter indagare debet, quomodo artifex in operando versari soleat.

§. 33.

Si locator ne die quidem a judice definito praestiterit, secundum omnes leges positivas conductor vel locatorem

[92]) Oestreich. A. B. Gesetzb. II. 17. §. 904.
Ist keine Zeit fuer die Erfuellung des Vertrags bestimmt worden, so kann sie sogleich, d. h. ohne unnoethigen Aufschub gefordert werden.

ad id quod interest, tenere vel ad laborem perficiendum cogere potest [93]). Sola lex Romana praecipit, ut nemo ad faciendum cogatur, conductori tamen permittit, plenam damni restitutionem exposcere. Quae lex mihi maxime placet. Concedo quidem, opifices ad labores communes et artificiales cogi posse, verum non video, quomodo sive opus liberale sive praestatio quaedam ingeniosa extorqueri possit? Quoniam labores ingeniosi animi quodam impetu fiunt, etiam, quando cuique libeat, praestari non possunt. Jus igitur cogendi haud magis in eos quam in officium conjugale adhiberi potest. Cogat actor opificem ad laborem ingeniosum, et longe a consilio suo aberrabit. Quomodo enim labor extortus artificium progrediatur, nescio. Itaque vis alienissima est, quia est ineptissima. Legibus autem, quae vim in labores ingeniosos concedunt, mancam rerum notionem subesse vel eo probatur, quod eaedem redemptori, si auctor librum scribere noluerit, nonnisi damni compensationem promittunt, jus vero cogendi ei denegant [94]) Quod vero discrimen sit inter auctorem, pictorem, musicum, si ad ingenium respicimus, plane ignoro. Franciscus a Zeiller in commentario suo adnotat, auctori optionem vel compensandi vel praestandi concedi debere, ne literae detrimentum capiant. Quod justum est, quia literarum jactura maxima et totius generis et singulorum hominum injuria videtur; verum quare tandem artes quoque liberales respectae non sunt? Etiam pictores opera, quae proferunt liberalia, continuo ad

---

[93]) Oestreich. Allg. Gerichtsordnung, von der Execution. Preussische Allg. Gerichtsordn. I. 24. Tit. §. 48—51.

[94]) Oestreich. A. B. Gesetzb. §. 1166.
Preussisches A. Landr. §. 1005—1006.
Ereignen sich Umstaende, die den Verfasser veranlassen, das Werk gar nicht herauszugeben, so kann er — zuruecktreten.

lucrum societatis limant, corrigunt, perficiunt. Constat, celeberrimum Domenichinum, cum quidam operam pretio longe majorem admiratus sit, asseruisse, se habere magistrum, cui non facile satisfaciat. Semetipsum autem intellexit.

FRAGMENTUM QUARTUM.

DE VITIO, DEFECTU, CULPA ATQUE CASU.

§. 34.

Conductor opus, qualecunque sit, recipere obligatus non est, veruntamen in recusando probare debet, opus vitio affectum i. e. omnino non aptum esse, quo probato non tenetur contractu. Sin opus defectu tantum laborat, quo ad usum non redditur non aptum, tum conductor solummodo emendationem vel damni reparationem flagitare potest. Num autem opus vitia seu defectus habeat, id conductori dijudicare non licet, sed per judicem adhibitis rei peritis inquirendum est. Si enim hoc in conductoris judicio positum esset, neque jus neque ars locum teneret.

Disputari etiam potest, an pulchritudinis defectus pro vitio vel defectu habendus sit? Lex Borussica [95]) id affirmare videtur, cum in rebus, quae ad magnificentiam et ornatum faciant, etiam menda exterioris speciei pro vitiis habenda esse praecipit. Verum quis est, qui non videat, hic non pulchritudinem sensu arctiore, sed elegantiam, splendorem concinnitatemque intelligi? Si in laboris naturam respicimus, tum defectum verae pulchritudinis

---

[95]) Preussisches A. Landr. I. 11. §. 952.

Ist jedoch bei Werken, die zur Zierde und Pracht bestimmt sind, in der aeusserlichen Gestalt und Form ein wesentlicher Fehler begangen worden u. s. w.

vitium censere nequimus. Ea enim, in artificis arbitrio non posita, utique praestari non potest. Quare sufficit, ut artifex opus, quantum queat, perfecte elaborare studeat. Zar Joannes III., quod Aristoteles architectus se aedificium, quod construxit, pulchrius facere potuisse confessus est, adeo incitatus dicitur, ut ei oculos eriperet. Si fabula vera est, probare valet, rudem principem bene intellexisse, se ab architecto violatum fuisse.

§. 35.

Tamquam vitium conditio expressa tractatur, quam locator non expleverit [96]). Sunt quidem, qui putent, oeconomiam postulare, ut artifex illepidas et inconcinnas conditiones, quas conductores rudiores praescribunt, implere non teneatur, quia nisi hoc artificibus conceditur, ars in periculum venire possit. Verumtamen jurisconsulti bene contradicentes affirmant, justitiam et libertatem esse potiorem arte et pulchritudine.

Oeconomia neutiquam quidem postulat, ut artifex conditionem, quam explere potest, explere non obligetur. Quaeque ars non solum res ingenii est, sed etiam res solius dexteritatis videri potest. Quod si artifex conditionem aliquam illepidam accipit, proprie non ut artifex, sed solum ut opifex contractum init. Ea autem, quae tantum scientiam et exercitationen flagitant, penitus in arbitrio hominis posita et propterea utique praestanda sunt. Sed hoc umbiguum videri potest, utrum de pulchritudine, in artificis arbitrio non posita, conditiones fieri possint? Quae quaestio eo solvitur, quod pulchritudo quidem certissime promitti non potest, verumtamen in impossibilibus habenda non est, sed in plurimis artificiis apparet. Cum enim res ita se habet, artifex omnino pulchritudinem polliceri potest, verum hac solum lege,

---

[96]) Oestreich. A. B. Gesetzb. II. 26. §. 1153.

ut conductor, si defectus pulchritudinis rite evincatur, contractu non teneatur.

§. 36.

Pro vitio etiam laesio ultra dimidium habetur et tractatur. Utrum vero merces justâ dimidio major conductori, justâ dimidio minor locatori jus regrediendi praebeat nec ne, quaeritur. Lex Romana (quamquam ambigua) non concedit, ut locatio conductio, de qua agimus, ob laesionem rescindatur [97]), lex Austriaca id concedit [98]), Borussica jus contractum rescindendi quam maxime limitat [99]). Gallica [100]) aeque atque Anglica [101]) laesionem ultra dimidium non agnoscit.

Res valde anceps est. Si laesio re vera locum tenet, contractus vel ob errorem vel ob dolum impugnandus esset, si vero partes libere convenerint, nulla laesio adest. Praesertim in locatione conductione operarum et operis affirmari potest, id quod partes constituerint, justissimum esse, quia permultae rationes subjectivae in mercedem constituendam influunt. Oeconomia legi annuere nequit, si laesionem ultra dimidium exigit, quia eo efficitur, ut optabilius sit, ultra dimidium laedi, quam dimidio, tertia, decima, centesimaque parte violari.

---

97) Fr. 23. D. XIX. 2. loc. cond. — Praetextu minoris pensionis — rescindi locatio non potest.

98) Oestreich. A. B. Gesetzb. II. 17. §. 876.

99) Preussisches A. Landr. I. 11. §. 876.

Bei Vertraegen, wodurch Sachen gegen Sachen oder Handlungen gegen Handlungen versprochen werden, findet wegen Verletzung im Werthe, ausser dem Falle eines Betrags, weder Anspruch noch Einwand statt.

100) Code Napoléon. Livre III. Tit. III. §. 1313.

101) Blakstone's Handbuch des Englischen Rechts. II. B. 30. Cap.

§. 37.

In specialibus etiam illis, quae culpam et casum attinent, animadverti potest, normas justissimas, quae scriptae sunt hac de re, oeconomicis rationibus originem debere.

Sic lex Borussica, quod culpam spectat, accurate inter diversos opifices discernens, operarium communem de effectu respondere non tenet, quamdiu sub moderatore seu ex praescripto operetur [102]), opifici autem artificioso imponit, ut rationem cujusvis mendi reddat, nisi conductor modum operandi non solitum praescripserit. Lex Austriaca [103]), argutiis Romanis relictis, simpliciter praecipit, ut, quicunque artem vel negotium publice confessus sit, omne damnum reparare debeat, quod vel diligentiae vel peritiae defectione oritur, idemque illi imponit, qui nulla necessitate intercedente aliquid perficiendum suscipit, quod sive diligentiam sive peritiam singularem exposcit.

§. 38.

De casu leges aptas condere, jam multo difficilius videtur.

---

102) Preussisches A. Landr. I. 11. §. 895—899.
Ausserdem duerfen gemeine Handarbeiter nur ein grobes oder maessiges Versehen vertreten; — Werkmeister und Kuenstler — sind auch fuer ein geringes Versehen zu haften schuldig. Hat aber der Dingende eine gewisse Art — vorgeschrieben, — darf er nur fuer ein maessiges Versehen haften.

103) Oestreich. A. B. Gesetzb. II. 30. §. 1299.
Wer sich zu einem Amte, zu einer Kunst oder zu einem Gewerbe oeffentlich bekennt, oder wer ohne Noth freywillig ein Geschaeft uebernimmt, dessen Ausfuehrung eigne Kunstkenntnisse oder einen nicht gewoehnlichen Fleiss erfordert, giebt dadurch zu erkennen, dasz er sich den nothwendigen Fleiss und — Kenntnisse zutraue, er musz daher den Mangel derselben vertreten.

Regula Romana, casum nocere domino neque praestari[104]), non sufficit, quia in locatione conductione operarum et operis persaepe casus mixti apparent operaeque materiae inhaerent, quamvis ad eam non pertineant. Quamobrem leges recentiores a Romanis discedunt. Etsi materia conductoris fuerit, locator secundum legem Austriacam[105]) casum praestare debet, nisi conductorem materiam manifesto inutilem praebentem commonuerit. Cui praecepto assentire possumus, quia sane opificis est, ut conductorem commoneat, verum etiam discernendum esse putamus, utrum locator culpa seu dolo materiam indagare neglexerit. Opifex enim communis materiam omnino semper considerare debet, verum fabricator ipse eam non curat. Gravi igitur poena dolosus locator afficiatur oportet. Quare imitandam censemus legem Borussicam, quae indagare jubet, utrum locator de materia interrogatus sit nec ne, atque praecipit, ut, si primum, locator levissimae culpae, sin alterum, levi tantum culpae obnoxius sit[106]). Si materia inutilis praebetur, locator quidem conductorem commonere obligatur, ei autem non imponitur, ut casum praestet. Lex Gallica neminem locatorum nisi architectum obligat, ut casum in materia praestet, verum-

---

[104]) Fr. 9. §. 4. D. XIX. 2. loc. cond.

[105]) Oestreich. A. B. Gesetzb. II. 26. §. 1157.
Hat der Besteller einen zur zweckmaessigen Bearbeitung offenbar untauglichen Stoff geliefert, so ist der Arbeiter, wenn die Arbeit aus diesem Grunde mangelhaft ausfaellt, und er den Besteller nicht gewarnt hat — verantwortlich.

[106]) Preussisches A. Landr. I. 11. §. 957—958.
Hat der Besteller die Materialien geliefert — und kein Urtheil des Werkmeisters verlangt, so haftet Letzterer fuer einen aus der Beschaffenheit dieser Materialien entstandenen Fehler nur alsdann, wenn dieselben zur Arbeit offenbar untuechtig waren und er den Besteller nicht gewarnt hat.

tamen, quod injustum videtur, architectum sine ullo discrimine decem per annos ad casum praestandum tenet [107]).

§. 39.

Quaeritur autem, num locator casualem materiae interitum ita sentire debeat, ut operarum adhibitarum nullam possit petere mercedem.

Lex Romana decernit, ut casus materiae in opificem non influat [108]), atque, solum in locatione conductione operis irregulari, opere quodam interito alterum praestandum esse praecipit [109]). Lex Austriaca non expresse hac de re agit, verumtamen legi Romanae videtur assentire [110]). Leges autem Borussicae [111]) atque Gallicae [112])

---

[107]) Code Napoléon. Livre III. T. VIII. §. 1792.

Si l'édifice — perit — par le vice de construction, même par le vice du sol, les architectes — en sont réspon-sables pendant dix ans.

[108]) Fr. 36. 59. 62. D. XIX. 2. loc. cond.

[109]) ibidem Fr. 31. Respondet rerum locatarum duo genera esse — — a superiore caussa rem domini manere, ex posteriore in creditum ire . . .

[110]) Oestreich. A. B. Gesetzb. II. 30. §. 1311.

Der blosse Zufall trifft denjenigen, in dessen Vermoegen oder Person er sich ereignet.

[111]) Preussisches A. Landr. 11. §. 960.

Wird das Werk selbst vor der Uebergabe durch einen Zufall vernichtet oder unbrauchbar, so verliert der Werkmeister Arbeitslohn und Auslagen.

[112]) Code Napoléon. Livre III. Tit. VIII. §. 1790.

Si la chose vient à perir — avant que l'ouvrage ait été reçu, l'ouvrier n'a point de salaire à reclamer, à moins que la chose n'ait peri par le vice de la matière.

discedentes praescribunt, ut casum, qui materiam spectat, locator omnino quod operas attinet, sentire debeat. Adhibent ergo istae leges strenuissime regulam universalem, quam lex Romana ipsa laesit, fortasse quia dominium rerum incorporearum non agnovit. Justissimum sane videtur, ut casus domino noceat, dominus igitur materiae interitum, operarum autem dominus i. e. locator, harum interitum sentiat. Oeconomia annuit; quis enim conduceret secunda vice opificem, cui operas non perceptas compensare debuit? Opifex ipse juri compensationem exigendi renuntiaret! Dignum vero, quod imitemur, videtur praeceptum legis Gallicae, ut opifex mercedem exigere possit, si opus vitio materiae occulto vel perit vel inutile redditur.

§. 40.

Casus etiam accidit, si locator morbo impeditur vel moritur, quem casum leges aliter tractant. Locatori enim, qui morbo seu alia caussa gravi impeditur, jus vicarii statuendi tribuunt, quod jus, si ad labores ingeniosos respicimus, sine dubio injustissimum est. Leges Austriacae [113]), mortuo locatore, heredibus facultatem laborem communem praestandi concedunt, sibi tamen constare non videntur, quia contractum, de quo agitur, conductori personalem, locatori autem realem esse confiteri debent.

---

[113]) Oestreich. A. B. Gesetzb. II. 26. §. 1162.

Ein Lohnvertrag ueber Arbeiten, bei denen auf die besondere Geschicklichkeit der Person Ruecksicht genommen zu werden pflegt, wird durch den Tod des Arbeiters aufgehoben.

FRAGMENTUM QUINTUM.

DE DOMINIO ET QUASI-DOMINIO EX HOC CONTRACTU ACQUIRENDO.

§. 41.

Quamquam ea, quae nunc tradituri sumus, paradoxa videri possunt, attamen ex eis quoque optime cognoscitur, jus privatum oeconomia ad limites quidem necessarias reduci, nunquam vero laedi.

Dominium Romanum, si vocem solam respicimus, jam duri quid continere videtur, indeque intelligimus, quare ejus notio apud Graecos locum non tenuerit [114]). Ubi res publica plurimi habetur, res privata tanta esse nequit. Romae autem primis temporibus civis erat, qui domum possidebat, atque is gavisus est illimitato arbitrio, quod jure dominii exprimitur. Dominium enim erat jus absolutum in res et personas, quae ad domum pertinebant. Postea quidem jus in liberos atque servos limitatum est, verum jus illud rude in res manebat [115]) inque leges recentiores ex jure Romano transiit.

Etenim apud nos quoque secundum jus proprietatis dominus dicitur rem suam posse non modo relinquere, immutare, alienare, sed etiam pro libitu, absque ulla ratione prudente perdere, evertere, destruere, exstin-

---

[114]) G. F. Schoemann: Der attische Prozesz. Halle 1824. Lib. III. pag. 490.

[115]) Leges imperatoriae tantum quaedam ad salutem publicam concedenda definiunt. Fr. 14. §. 1. D. VIII. 6. quemadm. serv. amitt. e. a. pl.

guere [116]). Equidem talem dominii notionem, licet oeconomistae ei faveant, anti-oeconomicam censeo, simulque turpem, quia similes videmur rudi Africano, qui debet arborem ferire posse, ut fructum percipiat, vel puero, qui, apem nisi potest necare, mel sibi comparare nescit. Praeterea etiam puto, tale jus proprietatis esse injustum, facile enim etiam e Kantii sententiis probari potest, rationem (jus naturae) dolosum rei excidium neque flagitare neque concedere.

Finis humanus omnino ambitum arbitrii postulat, in quo virtus exerceatur. Ambitum autem ratio reliquorum hominum habenda describit, ut ii quoque tamquam fines existere et agere possint. Ambitus arbitrii ita circumscripti orbem juris constituit, quippe jus aër virtuti circumjectus dici potest. In hoc juris orbe jacet omnino possessio, usus, proprietas rerum, non autem talis possessio, usus, proprietas, ut si reliqui homines simili gauderent, res ipsae evanescerent atque praesidia finis humani assequendi exstinguerentur. Cum facultas rem acquisitam pro libitu evertendi talis actio sit, quae legis vices tenere nequit, dolosa rei destructio non cadit in juris ambitum, atque dominio contineri non licet.

Hegelio si adhaeremus, domino arbitrarium rei suae excidium non denegare non possumus. Jus enim possibilitas existentiae liberae voluntatis definitur; dominium (Eigenthum) nil est nisi sensibilis orbis libertatis, et possessionem, usum et alienationem rei continet. Homo rem possidet, si voluntas sua rem explet, homo re utitur, si voluntas individualis rem determinat, quae

---

[116]) Oestreich. A. B. Gesetzb. II. 2. §. 362.
Kraft des Rechts — kann der — Eigenthuemer — seine Sache nach Willkuehr — zerstoehren.
Code Napoléon. Livre II. Tit. 2. §. 544.
La proprieté est le droit — de disposer des choses de manière la plus absolue.

determinatio omnino immutatione, consumptione et eversione rei perfici dicitur. Quoniam autem voluntas ne minimum quidem arbitrium brutum correctum est, sed potius aliquid primitivum humanum, liberum vocatur, voluntas individualis nunquam dolosum rei suae excidium flagitare potest.

Qui mecum consentit, vulgarem proprietatis notionem esse injustam, is etiam eis, quae nunc dicturus sum, annuet.

§. 42.

Jus reale in rem corpoream dicitur dominium, jus in rem incorpoream appellatur quasi-dominium. Errant tamen, qui putent, conductione locatione operarum nullum oriri dominium. Cum enim operae steriles non sint, sed re vera saepius productionem corpoream augeant, omnino saepius dominium ex operis oritur. Productio famuli, qui hero res affert, in parvis eadem videtur, quae mercatoris in magnis putatur. Valor (Werth), quem mercator merci addit, discerni nequit, merci tamen adhaeret. Idem dici potest de valore, quem famulus rebus domini tribuit. Operis sublimioribus quasi-dominium oritur. Operae enim sublimiores conductori suppeditant bonum aliquod incorporeum. Quasi-dominium tale valde limitatum est. Musicus enim ad acroama symphoniacum conductus modorum, quos ludendo e cogitatione depromit, possessionem solam et usum limitatum conductori alienat, proprietatem autem et jus eos excudendi et vendendi sibi reservat. Professor etiam legens auditoribus solam possessionem fructumque praelectionum permittit, sibique reservat jus praelectiones typis tradendi. Auditores quasi-dominium tantum specificatione vera [117]) acquirere possunt.

---

[117]) Fr. 24. D. XLI. 1. de acq. rer. dom.

Sunt, qui putent, quasi-dominium esse illimitatum, nisi contrahentes expresse de limite convenerint. Quod autem nego, quia res ut ita dicam humanae nonnisi contractu stricti juris acquiri possunt.

§. 43.

Ex conductione locatione operis oritur dominium, quod duplex est. Dominium, quod ex conductione operis communis vel artificialis provenit, illimitatum est, illud vero, quod conductioni operis liberalis, ingeniosi, originem debet, limitatum censeo. Quae opinio ut clarior fiat, notiones quaedam aperiendae videntur.

In operibus discerno inter materiam, formam et ideam. Materiam dico illud, ex quo opus efficitur, formam voco, quod e materia elaboratum sensibus sese offert, ideam autem nuncupo illud primitivum, quod forma repraesentatur, nec sensibus externis, sed interno tantum percipitur.

Non quivis opifex talem ideam, quam in operando sequitur, tenet, simulque non quivis dominium ideae, quae in opere exprimitur, habet. Sic etiam secundum leges positivas scriptor ejus expers est, qui librum secundum praescripta redemptoris componit [118]).

Quisquis autem propriam ideam exprimit, dominio quoque ejus gaudet. Proprietas vero idearum naturae insita est, quare venalis non est. Idearum dominium plenum alienare nequeo, sed proprietatis jus reservo.

---

[118]) Preussisches A. Landr. l. c.
Oestreich. A. B. Gesetzb. §. 1170.
Wenn ein Schriftsteller nach einem ihm von dem Verleger vorgelegten Plane die Bearbeitung eines Werks uebernimmt, hat er nur auf die — Belohnung Anspruch.

Quam absurdum sit ideae proprietatem alienare velle, jam ex ipsa notione patet. Nullo enim pacto nisi fraude hominum efficere possum, ut alter ideae meae auctor evadat. Jam vero quaeritur, ubinam idea locum habeat?

Quaestio fortassis inepta putabitur, verum non est. Omnino idea plerumque in mente opificis residet, sed potestne ea etiam tum in mente auctoris posita putari, si pro libitu auctoris procreari et effingi nequit? Si opere exstincto et ipsa exstinguitur, quia auctor eam pro libitu reproducere non potest? Nonne idea in hoc saltem casu potius in opere quam in mente posita videtur?

Quod si recte affirmatur, in operibus liberalibus idea in opere posita cogitari debet.

§. 44.

Ex iis, quae prolata sunt, plenum operis dominium apud auctorem esse, conductorem emptoremque solum dominium limitatum acquirere posse sequitur. Proprietas enim ideae apud auctorem manet. Quoniam vero hae cidea in opere residet, conductor vel emptor eam respicere debet. Quare neque opus ita immutare, ut idea deleatur, neque pro libitu deperdere ei licitum est. Leges positivae hanc sententiam solummodo, cum de libris conscribendis agant, sequutae, jus librum immutandi auctori designant[119]), verum oeconomia postulat, ut opera liberalia omnia aequali modo tractentur. Pictores quoque aliique artifices ingeniosi sperant fore, ut opera, quae alienare coguntur, rudi hominum arbitrio obnoxiae

---

[119]) Preussisches A. Landr. l. c.
Oestreich. A. B. Gesetzb. §. 1168.

non sint, quare multi, cum conductores tabulas auferrent, lacrimas effudisse dicuntur. Quam ad conditionem cur non respicitur?

Rei natura sententiae nostrae omnino respondet. Opera enim, quorum idea in mente opificis residet, ad eum usum, quo consumuntur, destinata sunt, verum opera, quorum ideam in opere ipso aspicimus, tali usui serviunt, quo non consumuntur.

Fortasse aliquis curam nostram superfluam, seu nimis exiguam putabit, quia raro artificia (culturae adminucula) dolose destruuntur [120]), attamen sententia vel propterea gravissima est, quod humanam rerum tractationem et sublimiorem dominii notionem quam maxime juvare valet.

Jurisconsulti rationes oeconomicas impugnare debent, quia non totam societatem in animum recipiunt, sed statum solum praesentem respiciunt; legislator autem, qui futurum quoque tempus atque sequentia genera curare tenetur, oeconomiam audiat oportet [121]).

---

[120]) Quid? etiam Mich. Angelus accusatur, invidia clarissimi nostri Alberti Duereri opera, quot potuit, coëmisse et combussisse.

[121]) Sic A. Muellerus in re falsa defendenda praeclare dicit: In den bisherigen Rechtslehren hat man den Verkehr der Personen mit Sachen nur dann eines Blikkes gewuerdiget, wenn zweite Personen dabei concurrirten. Man hielt den wirklich lebenden Menschen allein fuer rechtsfaehig, — hatte also nur die Summe der gegenwaertigen Nieszbraucher im Auge, wenn man vom Rechte sprach. Da es aber die Summe aller freien Individuen aller Jahrhunderte ist, die den Staat bildet, so leuchtet ein, dasz der Staatsmann den Staat in seiner Dauer umfassen soll. Elemente u. s. w. I. p. 231.

CONCLUSIO.

DE FALSA OECONOMIA POLITICA.

§. 45.

Exemplis, quae a legibus positivis petivimus, profecto eandem inter jus privatum et oeconomiam probavimus harmoniam, quam inter jus publicum et oeconomiam intercedere monstravimus. Oeconomia prohibet, quominus summum jus saepe sit summa injuria, (sententia barbara!), novumque juris publici fundamentum ponit.

Quare, qui oeconomiae student, hodie ipsi exsecrari debent falsam illam disciplinam, quae media ut fines considerat et rem publicam potius convellere quam curare cupit.

Ea est, quam Montesquieu jam deploravit: Les politiques Grecs ne réconnaissaient d'autre force, qui peut le soutenir que la vertu. Ceux d'aujourd'hui ne parlent que de manufactures, de richesses, de finances et du luxe même [122]).

Cui disciplinae qui adhaerent, de iis affirmari potest, quod Aristoteles de mercatoribus asseruit: *ἀνδρίας οὐ χρή-*

---

[122]) De l'esprit des lois. Livre IV. Chap. III.

ματα ποιεῖν ἐστιν, ἀλλὰ θάρσος· οὐδὲ στρατηγικῆς καὶ ἰατρικῆς· ἀλλὰ τῆς μὲν νίκην, τῆς δ' ὑγιείαν· οἱ δὲ πάσας ποιοῦσι χρηματιστικὰς, ὡς τοῦτο τέλος ὄν, πρὸς δὲ τὸ τέλος ἅπαντα δέον ἀπαντᾶν [123]).

---

[123]) Politic. Lib. 1. c. III. p. 18. ed. Goettl.

THESES.

I. Operae non sunt steriles. §§. 10 — 13.

II. Facultas politica gentibus Slavicis magna cum injuria denegatur. §§. 1. 19.

III. Tria sunt laboris genera, quod facultatem attinet. §. 30.

IV. In labores, qui ingenium flagitant, jus cogendi statui non potest. §. 33.

V. Ratio non exigit, ut jure proprietatis arbitraria rei destructio contineatur. §. 41.